

CONCILIUM OECUMENICUM CHALCEDONENSE,

Leone I. Summo Pontifice, anno Chr. 451.

1. Exacto per Synodum Ephesinam Hæresiarca Nestorio Maximiano Constantinopoli Ecclesiam rexit, hunc deinde Proclus excepit, Proclum Flavianus, qui cum Synodum Episcoporum triginta, regnante juniore Theodosio, Constantinopoli convocasset, Eusebius Dorylai Episcopus oblatu libello exposuit Synodo, Eutychem Sacerdotem & Monasterii, quod celeberrimum erat in urbe regia, Archimandritam seu Abbatem, prætextu declinandi erroris Nestoriani, ambas Christi naturas divinam humanamque ita confusas asseverare, ut in unam mutua commitione coaluisse prædicaret, sic tamen ut absorpta intra Verbum tamquam in immensam abyssum humanitas nihil de suæ naturæ veritate retineret, sed solum duntaxat apparentiam quandam & figuram: adeo ut sola Verbi persona in terris de Virgine nata sit, carnisque sustinerit pro hominum redemptione infirmitates, famem, sitim, lassitudinem, flagella, crucem & mortem perpessa sit; solaque de sepulcro surrexerit. Valentini quoque pestilens dogma renovans non ex Virgine, sed e celesti substantia formatum Christi corpus per Virginem in terras transmissum delirabat, neque quidquam de Maria Virgine sumpsisse, sed per eam duntaxat, quasi per canalem aut fistulam ad nos transmeasse: ut referunt de Eutyche Augustinus & Philastrius in suis Hæresion Catalogis, necnon Theodorus lib. 4. hæret. fabulæ de Valentino autem Tertullianus in suis libris de carne Christi cap. 21. & 22. & adversus Valentinianos cap. 27. At Eutyches insuper, referentibus Theodoro, Augustino, & Philastrio, Verbum fuisse in carnem convertum delirabat. Ter missis a Synodo Legatis citatus Eutyches fictitiis excusationibus Episcopos ludificavit, tertiarque citatione septem dierum inducias petiit, quibus suam, quam fingebat, affectam validitatem paulisper firmaret. Interea Chrysastrion spaldoni, qui gratia Imperatoris præ cunctis aliis prævalebat, quique amicitia Eutycheti conjunctissimus erat, (fuerat quippe ab hæresiarca de sacro fonte lavatus, idemque Flaviano jampridem per privatas similitudines infensus erat) suam causam impense commendat. Cujus avido suscepto patrocinio Chrysastrion Theodosio suadet, ut Florentium Patricium jubeat cum potestate Synodo interesse. Theodosii mandatum detulit ad Synodi Patres magnus Silentiarius, cum quo Monachis suis comitantibus prætorianorumque militum satellitio stipatus, Eutyches arrogantia tumens & animo pervicax Synodo se sistit. In his rerum angustiis Florentium gratulabundi Patres excipiunt, multamque Theodosio Augusto debere præ se ferunt, quod clarissimi viri, ejus fides religioque perfecta sit, præsidio Synodum præmunisset, Eutyches mandante Synodo sensum suum exprimit, admonetur a Patribus, ne contra receptam in Ecclesia fidem quidquam innovaret, utque abjecto errore privato ad Ecclesiam rediret unitatem. Ille vero in contumacia persistens, Synodi tandem judicio de Sacerdotio deponitur, Monasterique præfectura dimovetur; subscribentibus triginta Episcopis & Abbatibus viginti tribus.

2. Sic ille condemnatus immanibus adversus Synodum intemperis furit, quam libellis per compita & fora civitatis affixis profcindit, novaque pro se factiones constat ubique. Quinetiam apud Leonem veteris Romæ Pontificem scripto conqueritur, Nestorii hæresim per Flavianum Constantinopoli revivisse, in diesque incrementa sumere. Sequæ fidem Ephesinam qua pat erat constantia predicantem, fuisse a Nestorianis oppressum, & Ordine motum, neque ullatenus aditum, dum Apostolicum tribunal appellat. Huic Leo plenas benevolentia litteras scribit. Sed receptis paullo post Flaviani litteris cum omnibus Synodalibus actis, damnationem Eutychetis approbavit. Tum Eutyches per summum nefas a Synodi & Romani Pontificis judicio ad Theodosium provocavit. Annuit Imperator a Chrysastrione delusus, novamque Synodum indixit. Concurant undique & tumultuantur Eutychiani Monachi, & cum his complures aulici simul & plebei partibus Hæresiarchæ addicti. Verum ista quoque recens Synodus reviso anterioris Synodi processu, exploratiusque illius actis, auditioque recens Eutychete, priorem illam novo judicio confirmavit. Atque ita Flaviani sinceritas & Eutychis perversitas luculentius innotuerit.

3. Eutyches ad fuz causæ pene complorata subsidium, discordiam inter Episcopos ferere aggreditur. Dioscorum itaque magni olim Cyrilli Diaconum, & tunc tempo-

ris in Alexandrino Patriarchatu indignissimum successorem, projectissimam nequitiam virum, plurimis homicidiis, adulteriis, rapinis & sacrilegiis inquinatum, Chrysastrionem clientem, Flavianoque ob morum dissimilitudinem & sedium æmulationem infensum, in suas facile partes adducit, specie tuenda contra Nestorianos Catholicæ fidei, quam præcessor ejus Cyrillus Ephesina Synodo strenue propugnarat. Agit ergo per literas cum Theodosio Dioscorus, tantas controversiarum difficultates non fuisse privatis aliquot Episcoporum hostiliter adversus Eutychem affectorum conventibus discutandas, sed esse per oecumenicæ Synodi incontestabilem auctoritatem dirimendas. Huic obstitere suggestioni Flavianus primum, deinde Leo Papa. Prævaluit tamen horum dissonantibus Chrysastrionem & Dioscori conspiratio, cum hic se præsidem universalis Concilii a Theodosio designatum iri consideret. Hoc itaque a Theodosio indicitur Ephesi post novemdecim a primo Ephesino annos. Eo Romanus Papa Leo suos direxit Legatos cum duabus Epistolis, una quidem ad Synodum Ephesinam, & altera ad Flavianum, quibus orthodoxam fidem adversus Eutychem præstigias insigniter elucidabat. Ad eam itaque Synodum convenere Dioscorus Alexandrinus, Dominus Antiocheus, Joannis illius, qui prioris oecumenicæ Synodo Ephesinæ præfracto animo restiterat successor, Juvenalis Jerosolymorum & Flavianus Constantinopolitanus. Ad novam Synodum istam Theodosius Barsumam Archimandritam misit, qui nomine totius Ordinis Monachorum, & Imperia fretus auctoritate Antistites infederetur, a quibus fuerat damnatus Eutyches. Misit præterea Imperator Comitem Elpidium istius Synodi defensorem seu conservatorem, cui dedit in mandatis, ut Episcopis, qui contra Eutychem sententiam dixerant, omnem judicandi adimeret auctoritatem.

4. Tam infaustus & iniquis auspiciis coacta Ephesi Synodo, jubet Elpidius ante omnia de actis Constantinopolitanæ sub Flaviano Synodi questionem haberi. Obstant Apostolici Legati, & primum omnium litteras Leonis postulant recitari. Obstrepit cum suis Eutyches, Legatos Leonis in suspitionem & invidiam trahit, utpote Flaviano-prorsus addictos, addens ipsos Legatos apud Flavianum prorsus. Concitatur adversum eos tumultus, denegatur eis in sedendo primatus, quem sibi Dioscorus vindicat. Omnia contentiosis vociferationibus perstreperunt. Abscedunt Pontificii Legati, sed paullo post sedato aliquantulum tumultu revocantur. Sed mox valida & auidæ trecentorum Monachorum manus in Synodum irrupit, multos secum trahens milites armatos, cum quibus occulte Dioscorus conspirabat. Undique confusio, clamores horrendi, comminationes & convicia atrocia personant, raptantur, dirisque verberibus caduntur sancti Episcopi. Notarius digiti effringuntur, tabulæ Synodicae discerpuntur. Flaviano nil interrogato ut criminis reo silentium indicitur, & Antistites ejus affectu in vincula conjiciuntur.

5. Tum vero soli gregales Dioscori omne sibi judicium vindicant: Dominum Antiocheum suo dejiciunt Episcopatu, simulque Theodoritum Cyri, & Ibas Edesæ Episcopos, utrumque absentem & indicta causa. Qui vero interfunt & ad consessum admittuntur Episcopi, partim spontanei Eutychiani, partim metu adacti puris & albis membranis subscribunt, in quibus quid scribendum esset, magna illorum pars ignorabat. Legati Apostolici furtim gladios inter & hastas dilabantur, postquam pro suo reclamantur, & protestati sunt officio. Denique in ista Istronum Synodo (sic enim & jure merito Græci λυτικὴ σύνοδος vocant) prolatum Eutychetis Symbolum approbatur, ipseque orthodoxus prædicatur, pristinumque in statum restituitur. Flavianus autem & Eusebius Doryleus Eutychetis accusator hæretici Nestoriani declarantur, suisque sedibus depelluntur, & carceribus includuntur. Flavianum provocantem ad Apostolicum tribunal Dioscorus factus ex Episcopo carnifex, tam atrociter verberibus excipit, ut mox dum in exilium deportaretur, toto corpore contusus, fractus & saucius post triduum vita excesserit. Sine mora ejus loco subrogatur Anatolius Diaconus & Dioscori apocripharius. Dum demum exultans quasi de prælio victor Dioscorus Alexandriam revertitur: atque a Leone Pontifice fidelium communiione excisus, ipse quoque vicissim novo & hæcenus inaudito ausu in Leonem anathematis sententiam dicit.

6. Tot insignium calamitatum accepto nuncio, dici non potest, quanto animi dolore Leo Flaviani necem, Episcoporum orthodoxorum depositiones, vincula, exilia, divulsas Ecclesias, prostratam & pessandatam Religionem, exultantem Imperatoris protectione hæresim, universonque Orientem triumphantem & insolentem deplorent. Coacta quamprimum Romæ Synodo Ephesinum istud malignantium Concilium, seu potius atro-

latrocinium rescidit, & Dioscorum ut dictum est, simulque hujus incendii facem Eutychem anathemate percussit: crebraque ad Theodosium ejusque forem Pulcheriam litteras conscripsit. Quinetiam cum plerisque Italiae Episcopis obviam prodiit Occidentis Imperatori Valentiniano III. qui cum Regina Galla Placidia matre, & Eudoxia uxore, Romam religionis ergo ad invivenda sacra Apostolorum limina adventabat: cumque illis tam luctuosas religionis clades flebiliter exposuisset, lacrymas Regina excussit, suisque precibus impetravit, ut Valentinianus & Regina Theodosio scriptis litteris suaderent, ut præsentem Ecclesiam statum miseratus, curaret novo legitimoque ac libero Concilio, quæ per vim & factiones Ephesi gesta erant, examini subjici. Studebat Leo, ut in Italia, intra quam liberius poterat Ecclesia respirare, nova Synodus indiceretur; quæ labem & infamiam Ephesinam detegeret: Sed Theodosii mens hæreticorum artibus irretita flecti Valentiniani & Augustarum precibus minime potuit: quin immo promulgatis novis edictis Ephesinum conventiculum Nicæno sacrosancto Concilio justit adæquare. Sed haud multo post morte sua meliori regimini locum cessit. Leo, quod a Theodosio impetrare non potuit, ab ejus successore Marciano obtinuit Principe sapientissimo & religiosissimo, cui approbante Senatu Orientis Imperium simulque seipsum nuptu tradidit Pulcheria, ea tamen lege, ut sibi ipsi virgini esse liceret. Leonis igitur acceptis litteris Marcianus, suffragante Pulcheria, Synodum generalem Chalcedone indixit: quæ civitas septem duntaxat stadiis distat ab urbe regia, interjecto inter utramque Bosphoro, hoc scilicet sine, ut illic interese commode, suamque Synodo auctoritatem posset impertiri, qua factiosi, qui tot hæcenus turbas concitaverant, in officio continerentur. Primum quidem ad Leonis postulationem explorata fuit Anatolii fides, ejusque admissa publica fidei professio damnans Eutychem & Dioscori perfidiam, & conventiculum Ephesinum. Marcianus quotquot pseudo-synodus latrocinans expulerat, adhuc superstites revocavit, ut ad legitimam Synodum convenirent. Sacrum Flaviani corpus ex loco, in quo exul & martyr occubuerat, solempni pompa Constantinopolim reduxit.

7. Hisce felicissimis auspiciis Chalcedone apertum est Generale Concilium numero quartum, intra templum sanctæ Virginis & Martyris Euphemie anno Christi 451. mense Octobris, Marciano & Adolpho Consulibus, præsentibus Leonis Pontificis Legatis Paschasino Lilybæano, Lucensi Ausculano, Juliano Coensi Episcopis, & Bonifacio Presbytero. Secundus ab Apostolicis Legatis sedit Anatolius Constantinopolis Episcopus, tertius Dioscorus Alexandria, quartus Maximus Antiochie, quintus Juvenalis Jerosolymæ, alique deinceps tum ad dexteram tum ad levam. Principes vero a Marciano cum amplissimo Senatu missi in medio confederunt ante sanctissimi altaris cancellos, ut exprimitur actione 1. & alibi passim ἐν τῷ μίση πρό τῶν κληρικῶν τῶ ἀνομιῶν διασπασίς, hos qui erant Constantinopoli ante sacrum altare, cancellos vocat Gregorius Nazianzenus orat. 32. κληρικῶν. Principio Legati Apostolici obtestati sunt, fas non esse, Dioscorum, qui res sit Synodo judicandus, inter Episcopos sedere iudicem. Eusebius Dorylai libellum profert adversus Dioscorum flagitiis latrocinantis conciliabuli infamem. Leguntur subinde acta Synodorum Constantinopolis sub Flaviano, & Ephesi sub Dioscoro. Framunt Patres adversus Dioscorum, tot ejus sceleribus in apertum productis. Instat Dioscorus omnia refundere in Episcopos Ephesinos, nihil se illis in vitis aut inconsultis egisse. At illi excipiunt sibi vim illatam per introductos a Dioscoro armatos. Convictus criminum Dioscorus de gradu & sessione in Synodo depellitur.

Observandum in prima ista actione primam dejiciendi Dioscori allegatam fuisse causam, quia Synodum ausus fuerat cogere sine Apostolica Sedis auctoritate; ἄνευ ἐπίσκοποι γέγονεν, ἂν ἐξ ἐξου γένετο, quod nunquam hæcenus factum est, nec fieri licet. Sanctus Papa & Christi martyr Marcellus epist. ad Episcopos Antiochenæ Provinciae scribit, functionem Apostolorum esse, ut non possint Concilia celebrari præter sententiam Romani Episcopi. Hoc idem testatum reliquit Julius Papa in epist. ad Orientales Episcopos, quæ refertur ab Athanasio apolo. 2. & a Socrate lib. 1. cap. 13. & a Sozomeno lib. 3. cap. 9. additque hunc Apostolicum canonem fuisse in Synodo Nicæna renovatum. Quod idem testificatur Synodus Alexandrina, epist. ad Felicem. Damasus quoque Papa epist. ad Stephanum, & ad Concilia Africa: Nam ut nostis, (ait) Synodum sine Romano sedis auctoritate fieri non est Catholicum: nec Episcopus, nisi in legitima Synodo, & suo tempore vocatione Apostolica congregata, definire damnari potest. Neque ulla unquam Concilia rata leguntur, quæ non sunt fulta Apostolicæ Cabassurii, Notitiæ Ecclesiasticæ.

lica auctoritate: Hæc Damasus, si tamen non sint ei falso afficta. Idemque in epistola ad Episcopos Illyrici, quæ melioris notæ censetur: Neque enim præjudicium aliquod fieri potest per numerum Arimini congregatum, quando constat neque Romanum Episcopum, cujus ante omnia debebat eos expectare decretum; neque Vincentium, qui tantis annis Episcopatum inviolabiliter custodivit; neque alios talibus præbuisse consensum: maxime dum sicut prædicimus, isti ipsi qui per circumventionem declinasse videbantur, ipsi denuo utentes meliore consilio hæc sibi displicere restati sunt. Quod ait de Vincentio Capuano Episcopo, qui fuerat Silvestri Papæ in Nicæna Synodo Legatus, quique adhuc superstes erat, id significat, Romanum Pontificem, neque per seipsum, neque per Legatos acta Ariminensia approbasse. Insuper Synodus VII. oecumenica actio. 16. præcedentem pseudosynodum Iconoclastarum Constantinopoli habitam, reprobam irritamque hac ratione pronunciat, quia inconsulta sede Apostolica fuerat celebrata. Denique in Romano Concilio sub Pontifice Symmacho, cum Rex Theodoricus convocatis in unum Italiae Præsulibus denunciaret se ipsos convocasse, ut causam Symmachi cognoscerent; responderunt unanimes, convocationes Concilii non ad Regem, sed ad Pontificem summum pertinere. Cumque Theodoricus commonstrasset, Symmachum ipsum rogare ac expetere, ut Synodus ista egeretur, atque huic convocationi Symmachum suam præstare auctoritatem, ac jubere, ut de sua causa Synodus cognoscat, & judicet, non ante acquieverunt, quam Symmachus ipse præsens se id ipsum e Rege postulasse & velle asseruerit, ut per hoc sua innocentia comprobetur. Ipsa vero Synodus spreis calumniis, quæ Schismatici legitimis probationibus fulcire non poterant, Symmachum purgavit: & quia primus fuerat legitimis formis electionem irritam & schismaticam declaravit; de criminibus vero, quæ Laurentiana factio Symmacho sine probatione objectabat, judicium omne Deo soli (cui nihil occultum) esse committendum censuit, ut fidem facit in Apologetico Eranodius Ticinensis, cujus scripta hanc in rem edita Concilium ipsum iterato convocatum approbavit.

8. Actione Chalcedonensi 2. recitata sunt fidei symbola Nicænum & Constantinopolitanum; lectæ etiam litteræ Cyrilli tum ad Nestorium, tum ad Joannem Antiochenum; deinde Leonis ad Flavianum, eaque perlecta Synodus acclamavit: Petrus per Leonem loquutus est; Apostoli hoc docuerunt. Dioscorus, qui se subdaxerat, citatur reus. At is flagitiorum sibi conscius refugit se actionibus secundæ & tertiæ sistere. Post tertiâ compellationem venire recufans accusatur & judicatur absens: prolatis etiam Alexandrinorum testimoniis circa devastatos ab ejus satellitibus agros, abductas segetes, incensas ades, abreptas ab eo multorum uxores, sedata conjugia, violatas virgines, alique atrocia facinorosa. Has ob causas simulque ob sceleratissime per eum gesta in causa Eutychetis damnatus in Synodo est Dioscorus, & dignitate, quam dedecorabat, spoliatus. Episcopis Ephesinæ pseudosynodi veniam supplicibus post convenientem fidei professionem, damnatumque Eutychetis dogma, concessa reconciliatio fuit, & in pristinis dignitates regressus; Ibas Edesæ & Theodoritus Cyri Antistites pristinis Ecclesiis & sedibus, quibus illos exuerat Dioscorus, restituti sunt, fideique unanimes omnium consensu ad normam epistolæ Leonis stabilita sunt. Definuitque, Dominum nostrum JESUM Christum ex duabus naturis invicem distinctis & inconsusis Divina humanaque consistere. Et Divinitate Deo Patri, humanitate nobis consubstantiali esse, ac per omnia nobis esse similem absque peccato. Contrarium vero Eutychis & Dioscori dogma proponitur actione 5. his verbis: Ex duabus Christum naturis coaluisse suscipio, duas vero esse in Christo naturas non suscipio. Leonis autem ibidem approbat doctrinam sacra Synodus duas esse in Christo naturas unitas inconsusæ, & inconvertibiliter, & indivisibiliter.

9. Sed operæ pretium erit, brevem disputationis prolationem inter Eutychem hæresiarcham, se in suo monasterio fingentem aegritudine detentum, & Theophilum atque Mamantem Presbyteros, a Concilio Constantinopolitano, cui Flavianus præsidebat, missos, ut diem comparendi coram Concilio dicerent. Habetur vero actione 7. ejusdem Concilii, & inseritur actione 1. Chalcedonensi. Sic ergo rem exponit Theophilus coram Synodo Constantinopolitana: Ego & religiosissimus Presbyter Mamas pervenimus ad monasterium reverendissimi Presbyteri & Archimandritæ Eutychis, & porreximus ei a vestra sancta Synodo directum communitorium evocationis ejus: & cepit velle disputare nobiscum. Reverendo autem Presbytero Mamante dicente ei, quia non pro hoc venimus, ut una cum tua reverentia disputemus, sed evocare te ad occurrendum in sancta